



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii

Afhakker, Aegidius

Vrsellis, 1618

Capvt V. An per solam authoritatem magistratus pax debeat reuocari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

hominib. fuit, vt solum specie tenus verbum Dei teneretur: Nunc & verbi Dei etiam species abijcitur, & authoritas nescio vnde vsurpatur, vt omnibus hæresibus & monstris opinionibus Ecclesiæ ostium violenter, conspirantibus scilicet quibusdam politicis, effringatur,

CAPVT V.

An per solam authoritatem magistratus pax debeat reuocari.

Quintum dat consiliū author Respon-
 nis ad 3. quæstiones, quæst. 3. vbi Remon-
 strantes vult per authoritatem magistratus
 politici cogi ad concordiam seruandam, & i-
 dem cum Contra-Remonstrantibus sentien-
 dum. Ratio eius est, quia Remonstrantes fa-
 tentur se salua conscientia posse sententiam
 aduersam amplecti: Itaque conqueri non po-
 terunt, se contra conscientiam cogi ad obe-
 diendum hominibus cōtra voluntatem Dei.
 Eadem fuisse videtur Serenissimi Regis An-
 glia sententia in literis ad Ordines confede-
 ratos sæpius datis. Verūm quid de tali paci-
 ficationis modo sentiant Remonstrantes,
 patet ex modesto illo à Curia Geldriensi de-
 cretorum examine, an. 1617. pro Remonstran-
 tium causa emisso, vbi mortem se aliosque
 potius appetituros, quam à sententia disces-
 suros rotunde profitetur author. Cum item oēs
 communiter Remonstrantes tumultuū ac tur-
 barum

barum auctores se esse strenue pernegent, totamq; turbatæ reipub. eausã in impotētē & inordinatū aduersariorum zelū proijciant, vt patet ex epist. Leydens. ad exteros, non minori ratione putabunt aduersarios, suos ad moderationem ab ordinibus præscriptam cogendos esse, &c. non leue argumentum ex ipso Ordinum decreto desumentes. Si Contra-Remonstrantes replicent, se salua conscientia id permittere non posse; non eis credent Remonstrantes, sed conscientiam illam sui odium, inuidiam, dominandi libidinem interpretabuntur, vt in plerisque libellis non tacent, & Arminij amici in prologo ante eius professionem de Gomaro aperte indicant, maximè cum iam ab initio per maius consilium Hagæ declaratum fuerit, dissidium inter Arminium & Gomarum necessaria ad salutē nō concernere: idēq; postea Rex Angliæ iudicauerit. Deinde cum iam hucusq; malū excreuerit, habent proculdubio quoq; Ordines suas causas, ob quas hoc pacificationis consiliū approbare detrectent.

Demum cum hoc pacis remedium prorsus sit politicum & ad externam Ecclesiæ, quietem ordinatum, non est Ecclesiæ omnino necessarium, adeoque ab Ecclesiæ Pastoribus non tanti faciendum nec tantopere vrgendum, quasi sine hoc remedio nullū aliud Ecclesiæ suæ Christus reliquisset, quo pacem, vnitatem,

nitatem, & concordiam inter se membra retinerent. Nam sicut esse & florere Ecclesia Christi potest absque omni politica potestate, ut primis 300. annis manifestè visum fuit, cum non tantum pacem nullam, aut quietem; sed persecutiones, dispersiones, mortes & vicula ab eadem pateretur: ita habuit, adeoque etiamnum habet, quo inter infinitas licet hereticorum sectas corporali præsentia constituta, tantam inter membra sua conferuet unionem & pacem, ut non in duo aut plura dissectum, sed omnino vnum Christi corpus dici & esse valeat.

Postremo si (ut volunt etiam Contra-Remonstrantes) nemo contra aut præter Dei voluntatem in sacris literis reuelatam aliis præcipere quidquam possit, Remonstrantes autem parati sint sacræ Scripturæ iudicio se submittere; quomodo iure compelli, ut à sententia sua discedant, poterunt priusquam in sacræ scripturæ iudicio legitime fuerint erroris conuicti? Fiat ergo (inquiunt) conciliū.

CAPVT VI.

De quibusdam difficultatibus spectantibus ad conciliū.

Sequitur nunc Consilium vltimum de ferenda per nationalem synodum sententia definita.